

112
7
Hi
902

ERASMI
SENTENTIAM
DE
SYMBOLO APOSTOLICO
EX RVFINO DEFENDIT
ATQVE SIMVL
VIRO CLARISSIMO DOCTISSIMOQVE
DOMINO
EPHRAIM CHRISTOPHORO
THESSALIO

SVM MOS IN PHILOSOPHIA HONORES
GRATV LATVR
M. IOHANNES GODOFREDVS KOERNER.

LIPSIÆ,
STANNO FOERSTERIANO MDCCXLIX.





Post tot, tamque eximios Virorum Summi Nominis labores, quibus Symbolum quod dicitur Apostolorum, optime illustrarunt, ejusque originem abunde fatis, ut opinor, demonstrarunt: qui de eodem argumento mentem exponere suam, suaque proferre vellet cogitata, is certe in iustam aut arrogantiae aut temeritatis incurreret suspicionem. Hac quidem suspicione me ut spero liberabit et virium imbellicitas meorum & ipsum quod mihi pertractandum sumsi argumentum. Cum enim **TIBI VIR CLARISSIME**, animum testandi ad quaevis officia, praestanda obstrictissimum, laeta se mihi offerret occasio, ipsa cognitionis, meae, artis limitibus circumscriptae, ratio me impediabat, quo minus noui aliquid, atque antea prorsus inauditi, cum orbe communicarem eruditorum: quin potius in eo curam collocandam operamque infundendam esse omnem putavi, ut in explicandis sapientum sententiarum memet exercebam, eorumque si forte difficiliora fuerint intellectu cogitata, ab omni pro viribus liberare studerem dubitatione. Ipsum non minus argumentum cuius tractationem titulus tibi promittit, non nouae cuiusdam Spem Tibi facit opinionis. Antiqua sunt omnia. **ERAS-
MVM** confero cum **RVFINO**, scriptores, quorum hic Saec. iam **IV.** ille vero Saec. **XV. & XVI.** florere. Tantum abest, ut Viros eruditionis laude celebres, inani pruritu confutare sustinerem: ut potius causam eorum suscipere, mentem explicare, dicta defendere mearum partium esse sim arbitratus. Qui igitur eo haec animo legere vellet, ut noua exinde mentem imbueret opinione, spes illum sua frustraretur. Id enim in toto agam libello, ut antiquam **ERASMI** sententiam, anti-

tiquiorem adhuc, RVFINI nimirum iam tempore florentem, demonstrarem. Non multiplico sententias eruditorum, verum cum copia earum fere laboret litteraria ciuitas, minuere eandem volo, dum prodiuersis hactenus habitos, eandem fouisse sententiam manifestum facio. Nihil hic noui deprehendes, nisi hoc forsitan noui nomen mereri TIBI videatur, quod ex RVFINO potissimum, quem ERASMO opponere plurimi consueuerunt, eundem defendere & quae ille adseruit demonstrare, nouo conamine sustinerem. Vt autem ordine & ratione quae pollicitus sum praestarem, atque ne vana sit & inanis, mea quam adornare cupio, defensio: ipsam ERASMI sententiam proponam eandemque rite explicabo; deinde vero fata, quae expertus est ob hanc ipsam sententiam aduersa, paucissimis sum enarraturus. Quibus expositis, tandem ad ipsum RVFINVM conversus, illius expositionem cum verbis Erasmi amice admodum conspirare, luculenter pro virium modulo mearum indicabo.

Notissimus est ille locus, qui tot acerrimos habuit oppugnatores, quo suam de Symbolo Apostolorum sententiam, paucissimis quamquam verbis, fatis tamen perspicue declarauit ERASMVS, litterarum olim per omnem fore Europam instaurator felicissimus. Solemne est eruditis, ut dum verba haec ERASMI citant, quae inueniuntur in praefatione secunda praeliminari ad Paraphrases in Euang. T. VI. Opp. exemplum sequantur aduersariorum ERASMI, nec plura proferant, quam quae illi extra contextum posita, sua consutatione digna iudicant. Hi vero, ubi iis ad hunc locum ventum erat, non nisi haec verba notarunt: „*Symbolum an ab Apostolis proditum sit, nescio.*„ Verum enim vero cum in omni scripto, textus cohaerentia, aditum nobis ad mentem scriptoris melius perspicendam pandat, atque praeterea ERASMVS iteratis precibus in epistolis ab vnoquoque contendat, ut ea quae, pro falsis in scriptis haberentur suis ipse euoluat, nec aduersariis suis temere fidem habeat: nostrum omnino erit & scopum Auctoris indicare; & ea quae praecedunt atque sequuntur attente considerare. In eo nempe occupatum deprehendimus ERASMVM, ut tristissima ignorantiae suae aetatis tempora deploret. Luget miserrimam plebis conditionem, quae nulla sanctioris doctrinae cognitione imbuta, errores amplecteretur pro vero & luce orbata veritatis in tenebris sepulta iaceret. Nec deplorat tantum, verum etiam ex animo remedia quaerit, quibus huic malo mederi possit. Suadet propterea ecclesiae ministris, ut diligenter populum instruant, ut veritates exponant salutares, ut verbis non solum eos docere labo-

laborent, verum librum quoque auditoribus tradant, ex quo ipsi saluberrimam ediscere cognitionem, atque in iis, quae orali institutione perceperant, vberius se possent confirmare. Dum itaque talem librum concinnari cupit, pergit iam in consilio egregio, ipsamque libri conditionem ita describit, vt fontes ex quibus hauriri deberet diligenter simul indicet: „non ex humanis, inquit, lacunis, sed ex fontibus Euangelicis & Apostolicis, ex Symbolo, quod, num ab Apostolis proditum sit nescio, certe maiestatem ac puritatem Apostolicam pra se fert.“ Sententiam ERASMI ita perpenderit nobis, integritatem, animumque sincerum nec vili aduersantem veritati, in eadem deprehendere fuit facillimum. Non negat auctoritatem Symboli, imo potius confirmat, non de doctrina quae Symbolo traditur, ambigit, sed dubiam de Symboli origine mentem exponit. Quid? quod si mentem eius recte percipimus, non Apostolos auctores esse inficiatur, sed proditum ab iis fuisse, id quidem est de quo dubitandi sat graves causae illi suppetebant. Quam quaeſo maiorem tribuere potuisset ERASMVS Symbolo auctoritatem, cum omnibus illud humanis Scriptis longe anteponat, ipsis Euangelicis & Apostolicis fontibus ex *de consuetudine* ortum trahentibus, iungat atque aequiparet, neque in eo habeat satis, verum ex plena conuictione loquutus, plurima quae illi verba suggerebat, demum addat, maiestatem Apostolicam illud ipsum quod de Apostolis nomen habet Symbolum, pra se ferre? Nihil profecto restat, quod arbiſer rerum aequus ab ERASMO postulare queat. Cui enim haec non sufficiunt, ille ipsis libris a Sp. S. inspiratis Symbolum anteponendum esse, concedat necesse est. Quod quam absolum sit quamque a veritate alienum vel me non monente quilibet intelligit. Sufficerent haecce ad explanandam ERASMI sententiam, nisi ipse verborum suorum interpretem optimum se praestitisset, ad ea respondens, quae suae opponebantur sententiae. Norat vero ERASMVS „vocabulum prodi nihil aliud significare, quam scripto tradere; „verbum vero nescio, nontam esse dubitantis, quam potius declinantis contentionem additque, velle se vt omnes crederent proditum esse ab Apostolis, etiamſi „id non possit cuincere.“ Tam clara tamque perspicua sunt verba, vt me interprete non egeant. Patet vero simul quod supra at igi, ERASMVM non simpliciter Apostolis Symbolum abiudicasse, sed tantum negasse, scripto ac illis traditum esse. Etenim varia aliquis ratione auctor rei dicitur, & ille quidem inuenisse verum recte censeatur, qui coram de eodem omnium primus alios instituit, quamquam non scriptum reliquerit, nec sua libro singulari dogmata proposuerit. Quae quidem optime cum

ERASMI mente conuenire, alio loco ipse testatur: „Non dubito, inquit, „an ab Apostolis sit profectum, potuit enim viua voce, sed an communi omnium scripto ad nos peruenerit. a)

Ab hoste irato & concitato aduersario, qui aequitatem expectaret & debitam sibi promitteret in disputando moderationem, spem ille conciperet vanissimam. Quid itaque mirum, si eandem ERASMVM habuisse fortunam videmus? Non deerant Viro insigniter docto, qui singularem eius eruditionem inuidia prosequerentur, quaeque ille eleganter nimis euulgauerat, dente roderent theonino. Fortissimo enim veritatis propugnatori cum Sutoribus atque Beddis fuit dimicandum, atque horum furor eo valuit, vt non satis haberent, si propriis viribus tantum adgrederentur virum, atque connata sibi maledicentia, famam viri macularent, cuius verissime dicta infringere haud possent. Eo itaque processerunt audaciae, vt, quod facile ipsis quidem erat factu, vniuersum eruditorum collegium, quod summa iis temporibus auctoritate erat conspicuum, cuiusque partem haud exiguam ipsi constituebant, (b) in erroris adducerent societatem & cum toto corpore Sorbonnico in id communi studio incumberent, vt laederent Virum, qui sodalitatem illam summa semper obseruantia suspexit, nec reuerentiam suam eo deposuit tempore, quo fulmine atroci scripta sua percutiebantur. (c)

Digitum hoc loco intendo, quod quilibet coniectura facile adsequitur, ad censuram illam Facultatis Theologicae Parisiensis qua 32. articulos, ex libris ERASMI vndique corrasos, damnarunt. Cum autem in iis ipsis, quas atro notarunt carbone propositionibus, illa quoque de Symbolo inueniatur Apostolico, quid obstat, quo minus hanc ipsam censurae partem, inter asperrima fata, quae ERASMVS ob suam de Symb. sententiam expertus est, et primo quidem loco connumeremus.

Vt autem eo melius quae fuerit haec Sorbonnica confutandi ratio perspiciamus, quidque doctoribus amplissimis bilem ita mouerit, vt publico scripto veritatis inimicum declararent ERASMVM, intelligamus, ipsam censurae huius historiam atque occasionem, inde a prima eius origine repetere, ab instituto nostro non erit alienum.

Haud ita pridem ERASMVS suas in Euangelia paraphrases in publicam

(a) In Declarat. ad Censur. Facult. Theolog. Paris.

(b) Natalis Bedda D. erat eo tempore Collegii Syndicus. Sutor v. qui eiusdem fuit membrum postea Monachus factus est Carthusianus.

(c) Modestiam hanc Erasmus conspiciendam praebuit in Praefat. ad Declarat. Censuris oppositas.

blicam emiserat lucem, cum NATALIS BEDDA D. Sorbonnicus, calumniator egregius, plurimos ex paraphrasi in Lucam adnotaret articulos, quos quidem qui emendarentur dignos iudicaret. Sparserat illos iam apud alios ante, quam eosdem cum ERASMO communicauerat. Hos, ubi per FRANCISCVM DE LOINVM accepit noster articulos, adeo non offensus est diligentia BEDDAE, ut vehementer optarit, ut eandem et reliquis Paraphrasibus, & praecipue adnotationibus suis adhiberet medicinam. Respondit quoque ad loca ista subnotata atque hanc responsionem misit NICOLAO BEROALDO, ut BEDDAE illius faceret copiam. At vero animus BEDDAE ad rixas atque contentionem ad modum procliuis, minime expectavit mansuetam illam ERASMI responsionem, quin potius, antea, quam eam accepit, tradidit summo Parisiensium senatui qui Parlamentum dicitur, acerrimum propositum, quas ex ERASMI libris mala fide collegerat et quarum singulas censura perstrinxerat acerbissima. Fecit hoc BEDDA A. D. 1523. iamque ad arma erat ventum ERASMV M inter & BEDDAM, & quae antea amica componi potuissent conuentione, publicis nunc certaminibus erant discutienda. Qui pugnae signum dederat BEDDA, promptissimum se quoque exhibuit ad bellum prosequendum, quemque virtute superare nulla spes erat, eundem iterato impetu turbare, turbatumque prosternere animus fuit. Non itaque irrequieto homini sat esse potuit hanc tradidisse censuram, pauco nimirum post tempore, aliam denuo eamque generalem adornauit, quae totam ERASMI concernens doctrinam, erroneam eam et bonis contrariam moribus, ecclesiae denique atque religioni maxime noxiam, declaravit. Non filuit ad improbos BEDDAE conatus ERASMV S. Consignata nimirum Apologia rem suam apud ipsam defendit Facultatem; adgressori vero parum modesto, quod satis est fecit, peculiari confutatione quam supputationis errorum BEDDAE nomine, insigniuit. Scripserat circa idem tempus senatui Parisiensi, atque humillime aequitatem eorum implorauerat, rogans, ut si manifestam censuram aduersarii haberent vanitatem et calumniam, uti certe habebant, aut prohiberent isthaec spargi venena, aut sua inuehi finerent antidota. Haecenus priuatim solum nec in conspectu totius orbis eruditorum haec agitabatur controuersia, ut itaque maiorem ex hac lite gloriam deportaret, omniumque in se vnum oculos conuerteret BEDDA, quae stilo signauerat, singulari libello typis exprimi curauit, egregium hac ratione specimen feruoris maxime detestandi, editurus. Quanti enim quae-
so auctor erit aestimandus eiusmodi, in cuius libro non magno, mani-
feste

festis falsa 52. calumniae evidentes 184. & blasphemiae aliquot, bona fide facile numerantur (a). Quod quidem iudicium, si ea forsitan de causa reiciendum tibi esse videatur, quoniam ab ipso latum fuit ERASMO: perpendas velim, tantam fuisse hominis impietatem, ut ipse rex ad eam coercendam, sua uti auctoritate debuerit, qua quippe effectum, ut liber hic, calumniis refertus atque scommatibus, publice non damnaretur solum, verum etiam summa cum cura, tamquam theologiae doctore opus indignum supprimeretur. (b) Durissimis his remediis quae maximum certe aliis iniiecissent tetrorem, furor BEDDAE minime cohibebatur, nec regia voluntas motus compefcebat inordinatos. Tantum enim aberat ut publice imposito sibi silentio, morem superioribus gessisset, seque moderatum atque quietum exhibuisset veritatis amatorem, ut potius, quae antea in ERASMVVM congesserat conuicia, perpetuo continuare non erubesceret. Ita vero pacis turbator publicae, poenam tandem dedit promeritam & in aula Parisiensi custodiae fuit traditus, ex qua non nisi ea liberatus est conditione, ut praesentem se sifteret quocumque id tempore ab eo exigeretur. Iudicis severitatem legumque intransgressores rigorem cum adeo in se ipso expertus esset BEDDA, consilium subinde mutavit, quodque ipsi haud erat permissum id ut alii facerent bellumque renouarent pene compositum, omni studio contendit. Auctor nempe fuit quibusdam Doctoribus, ut aceruum articulorum congerent ex operibus ERASMI, quamquam enim abunde iam articulos cumulauerat ipse BEDDA, nullus tamen eo tempore articulorum colligendorum nec modus fuit nec finis, ita, ut res plane in morbum articulorem exire videretur.

Egregium hunc si Diis placet laborem, coetui Doctorum ordinis theologici proposuit, exigens simul ut suo eundem ad probarent ad sensu, eaque adeo quae in ERASMO reprehenderentur, ipsi quoque virgula notarent censoria. Tandem blandis non minus verbis quam minis obtinuit, ut et propositiones ex Colloquiis adnotatae et reliquae ex opp. articuli confutati, omnium consensu damnarentur. Duplex proinde censura Fac. Theol. ERASMVVM feriebat, alia, quae ad colloquia se referunt, facta 1526. d. 16. Maii alia vero, quae reliquas respexit propositiones quae 1527. d. 17. Dec. fuit demum consignata. Vix ad ERASMVVM malus nuntius

(a) Vid. Prolog. Supputat. errorum in censuris BEDDAE

(b) Eodem fere modo similis calumniandi libido reprimebatur in Ecomondo & Leo Anglo, quorum illi Adrianus VI. silentium imposuit misso diplomate, huic v. eadem in Anglia acciderunt.

tius quæ præter spem acciderant attulit, cum ille ad ipsum senatum Parisiensem litteras mitteret d. 14. Nou. 1527. humanissimam quæ mentem declararent suam. Rogans simul, ut quod sibi immineret, malum averterent, suæque auctoritate hostium molimina opprimerent. Quantum hæc literæ ERASMO profuerint nobis quidem iudicare non licet, interrim tamen observari meretur, ipsam Sorbonnici Collegii censuram non eo ipso quo confecta est anno, sed post quatuor demum annos 1531. typis fuisse excusam. Hanc ERASMVS editionem adeo non metuebat, ut ipse anno insequenti 1532. eandem cum declarationibus suis publicæ expone-
ret luci. (a) Quæ ex editione partem Censuræ eam, quæ nostram præ reliquis meretur attentionem & quæ in numero articulorum undecimum occupat locum, cum lectore communicare benevolonostri ut faciamus postulatur instituti ratio.

„ Cum Symbolum quod Apostolorum dicitur ab Apostolis editum esse & pro-
vulgatum, sit fide tenendum, teneant quoque Catholici doctores, Clemens hu-
ius nominis primus, in Epistola ad Jacobum fratrem Domini, Augustinus
Serm. II. Dominica in ramis Palmarum & in vigilia Pentecostes; Ambrosius
in. & Leo I. atque alii uniformiter, unumquemque Apostolorum quod sensit
dixisse, dum illud conderent, hæc nescientia impietati inserviens scandalose
proponitur. „

Nobis nunc erit permissum in ipsa censuræ verba adcuratius paullo inquirere, & rationes quibus ERASMVM confecerint, studiose peruestigare. Videntur quidem testes veritatis adduxisse Censores, at v. si recte rem perpendimus non testes adducunt, sed exempla proponunt hominum, qui in eadem fuere persuasione. Ne tamen iniurii in auctoritatem illu-

(a) Hanc huius controversiæ historiam, cuius primas quasi lineas duxit Dupinus bibl. Auct. eccl. T. XIV. pag. 16 17. ex ipsis contextui epistolis, quas hoc in negotio exaravit ERASMVS, sunt v. ordine Chronologico sequentes.

1. Natali Beddæ Basil. III. Cal. Mai. 1525 Libro Epistolar. XIX.
2. eid. longiss. sep. Bas. Festo Corp. Domini 1525. Lib. XIX.
3. eid. Bas. Nat. S. Barthol. A. 1525. L. XIX.
4. eid. Bas. VI. Non. Oct. 1525. L. XVIII.
5. Senat. Par. Basil. postrid. Id. Iun. 1526. L. XXI.
6. Coll. Sorbonnico Bas. postrid. Natal. Martini 1527. L. XXII.
7. Senat. Paris. Bas. XVIII. Cal. Dec. 1527. L. XIX.
8. Nat. Beddæ Bas. XVI. Cal. Dec. 1527. L. XIX.

Recensui has epistolas ex Opere Epist. Erasmi quod ex offic. Froben. prodiit Fol. 1558.

illustrium videamur virorum, faciles erimus, concedamus testes citari, CLEMENTEM, AVGVSTINVM, AMBROSIVM atque LEONEM, nihil profecto æquitas nostra ipsos iuvabit, si quidem & libros suppositos & verba auctoris minus ad rem probandam idonea esse evincemus.

Age itaque quæ protulerunt testimonia sub examen vocabimus. Primus se nobis offert CLEMENS ROMANVS, ad cuius epistolam ad Jacobum fratrem Domini provocarunt Parisienses. Inter epistolas CLEMENTIS (a) quæ dicuntur decretales numero quinque, tres invenire licet ad Jacobum hunc missas Hierosolymitanum atque in iis prima, ea est, quæ amittunt nostri, neque enim in ulla reliquarum mentio Symboli iniicitur. Probe tamen est notandum, in duas hanc epistolam dispesci partes, quarum prima pluribus refert, quo modo PETRVS adhuc vivens sui in episcopatu Romano successorem constituerit CLEMENTEM, hos ipsos honores quod deinde mortuo PETRO in se susceperit CLEMENS, atque hæc omnia pariter ac ipsam PETRI mortem ut iusserat vivus JACOBO exponit, qui pro auctore habetur CLEMENS ROMANVS. In altera deinde epistolæ parte de doctrina quam a doctore acceperat Apostolo abunde differit atque ibi quidem ab initio statim ille in oculos incurrit locus quem sine dubio nostri respexerunt. En! ipsa epistolæ verba: „*Sine fide placere Deo nemo poterit, Christo itaque resurgente & ascendente in cælum, misso sancto Spiritu collata Apostolis scientia linguarum, adhuc in uno positi Symbolum, quod fidelis iam tenet ecclesia, unusquisque quod sensit dicendo condiderunt, ut discedentes ab invicem hanc regulam per omnes gentes predicarent.*”

Quem locum, non minus ac ipsam epistolam, pro suspecto iure quidem habent hæc unum rerum peritissimi. Ut enim multa taceam quæ ex ipsa epistola peti possent argumenta, ipsa inscriptio eandem CLEMENTI denegandam esse suadet. Quomodo enim quæso fieri potuit, ut CLEMENS scriberet JACOBO, eo tempore, quo PETRVS iam ex hac vita discesserat? Tunc enim mortuum fuisse PETRVM, verba testantur epistolæ: *αὐτός (Πέτρος) τὸ νῦν βίσιος τὸ ζῆν μυστήλαζεν.* An forsitan qui talia nobis narrat persuadere simul poterit, JACOBVM supervixisse PETRO, quem antea mortem obiisse pro comperto habemus. Quis enim est qui nesciat, JACOBVM circa A. D. LXI, sub Albino præfecto, ab Anano summo Pontifice

(a) Extant latino Sermonem quæ CLEMENTI adscribuntur epistolæ omnes T. I. Conciliorum quæ studio Philippi Labbei & Gabrielis Costartii prodierunt Lut. 1672. prima vero earum quæ huius est loci latine non solum verum graecæ etiam exhibetur in PP. Apostolicis Joh. Baptistæ Cotelerii ex edit. Clerici Antw. 1698.

Pontifice esse interfectum; PFTRVM contra Anno circiter LXVIII. sub imperio Neronis, anno 13. aut 14. crucis supplicio affectum fuisse? (a) Temporis itaque supputatio, fabulae adversatur, & auctoritatem epistolae maxime infringit. Quod ad alteram huius epistolae attinet partem (b) antiquitus eam ignotam fuisse vel ex eo patet, quod RVFINVS, qui latino sermone donauit has literas, eo laborem finiverit, ubi altera epistolae pars capit initium, quod neutiquam factum fuisset, si quidem eo iam tempore, haec sub CLEMENTIS nomine extitissent. In ipsa deinde narratione, multa ex Scripturis loca secundum versionem Hieronymi citantur, quod, cum a CLEMENTE qui trium saeculorum ab Hieronymo distat spatio, haud potuerit fieri, recentiorem, quis non videt auctorem, post Hieronymi aetatem haec sub CLEMENTIS nomine evulgantem. Denique ille locus ad quem nos ablegarunt Censores, eadem exhibet verba VENANTII FORTVNATI in expos. Symb. Apost. C. I. Novum suppositionis indicium, hunc enim omnes ii, qui libros aliis subiecerunt morem obseruarunt, vt quae ex PP. vndique corraferant, Viro illustri ultimae antiquitatis, adscriberent. Jam verosi ad ipsa verba accedamus, nulla ERASMVM inter atque CLEMENTEM est pugna. Nihil enim amplius ex verbis citatis effici poterit nisi hoc: Apostolos dicendo condidisse Symbolum idque non auditorum sed sui gratia fecisse. Haec vtrum vera sint iam non curamus, sufficit nobis frustra talia opponi ERASMVM defendentibus, qui, scripto traditum Symb. ab Apostolis esse inficiabatur. Eadem facilitate reiicimus testimonium AVGVSTINI. Quos enim adferunt sermones, eosdem PP. Benedictini in Adpend. T. V. Opp. Aug. inter suppositos referre non dubitarunt. Adeo sibi repugnant hi duo sermones, vt ab eodem auctore vix proficisci potuerint, quod infra videbimus, ipse quoque AVGVSTINVS alio loco in serm. 212. de Symbolo, profiteretur: Se religioni impediri, quo minus Symb. ipsum vel semel litteris mandaret.

Convertimus nos ad AMBROSIVM quem causae suae faciunt Patrum Parisienses. Locum non citant, eundem tamen in Serm. XXXIII. de ieiuniis Quadragesimae (c) deprehendi, aliunde didicimus. Quemad-

B 2

modum

(a) Cf. William Cave in Antiqu. Apost. pag. 293.

(b) Habet haec spuria adpendix epigraphen ad oram: Compendiolum Fidei Christiana. Labbaeus T. I. Concil. pag. 89. ita scribit: hic definit epistola in quibusdam Codicibus. Cetera sunt vice adpendicis addita, circa annum 800. vt videtur.

(c) Incipit Sermo: *Propitia diuinitate ecce iam pene transegimus quadragesimae iudicia ieiunia* &c. Habitus est eo die quo Symbolum competentibus tradi solebat. Non improbable esse dicant Benedd. hunc sermonem deberi S. Maximio cuius quippe & stylum & nomen cognoscendum praerberet in Codice Remigiano

modum vero ipse Sermo a PP. Bened. in nova Opp. ed. AMBROSIO denegatur: ita nec verba quidquam contra ERASMVM probant, quae ipsa indire praestat: „ *Ista autem ipsa clavis, quam fidem dicimus, videamus quem admodum constet, & quemadmodum solidata sit. Arbitror illam XII. artificum operatione constatam, XII. enim Apostolorum Symbolo fides sancta concepta est, qui, velut periti artifices in unum convenientes clavem suo consensu conflaverunt.* „ At v. quid longa opus est inquisitione? cur ad Sermones eius confugimus, cum totum Opus de Symbolo Apostolorum reliquit AMBROSIVS? Scilicet quoniam in universo illo tractatu nec vola nec vestigium de eo, quod quaerimus, extat testimonio. Quamquam enim editores Romani Opp. AMBROSII proprio Marte hanc libro inditam voluerunt inscriptionem, meliorem tamen & cum argumento adcuratius convenientem praefixerunt ex MSS. PP. Benedicti, qui illum de Trinitate inscripserunt. Distribuitur nempe ipse libellus ab auctore in fine Cap. XV. in tres partes, quarum prima agit de trinitate, secunda in discutiendo incarnationis Dominicae mysterio versatur, tertia denique de resurrectione mortuorum disputat & quae contra hanc veritatem obiciebantur ab haereticis, diluit. Vides, ne verbulum quidem de Symbolo Apostolorum ibi deprehendi. Universum tandem laborem AMBROSIVM non agnoscere auctorem, harum rerum iudices intelligentissimi dudum adnotarunt, idque vel ex eo colligi posse demonstrarunt, quod ipse quisquis sit Auctor, in fine libri fateatur, se hoc opus ex Patrum famulorum Dei libris ad suam aedificationem excerptisse. Multa nimirum loca agnoverunt in lectione PP. uersatissimi, qui ex HILARIO vel AMBROSIO vel AVGVSTINO petiti essent. Quid? quod maximum est, fragmentum ex Hieronymi commentarii, in Jesu in libro illo inuenerunt, cum tamen hoc opus non nisi post mortem AMBROSII fuerit elucubratum.

Agmen tandem claudat, quem ultimo loco testem adduxerunt LEO M. Episcopus Romanus. Non multum operae fuit illud deprehendere testimonium ad quod digitum intenderunt nostri, BARONIVS enim alique id ipsum in epistola quadam LEONIS ad PVLCHERIAM extare, nos docuerunt.

Plures equidem epistolas ad AVGVSTAMPVLCHERIAM LEO exaravit, quarum undecim numeravimus. In iis omnium prima ordine XXVII. nostro quo flagravimus deliderio, quod satis est fecit. Sollicitat in eadem epistola LEO zelum PVLCHERIAE adversus EVTYCHEM, monstratque Symbolum Apostolorum nova haereli concuti, his verbis: „ *Catholici Symboli brevis & perfecta confessio, quae XII. Apostolorum toridem est* signata

| | | | |
|---------------|---|---|----------------|
| | Augustinus Serm. 240. T. V. opp. Adp. | Augustinus Serm. 241. ibid. | Pr de bi |
| Petrus | Credo in Deum Patrem omnipotentem creatorem coeli et terrae | 1. Credo in Deum P. omnipotentem. | C or co |
| Andreas | et in Jesum Christum, filium eius unicum Dominum nostrum. | 4. Qui conceptus est de Spiritu S. natus ex Mar. virg. | pe Pi us |
| Jacobus maior | qui conceptus est de Spiritu S. natus ex Maria virgine | 3. Credo in J. C. filium eius unicum Dominum nostr. | qu de de |
| Johannes | passus sub Pontio Pil. crucif. mortuus et sepultus | 2. Creatorem coeli et terrae. | et iu |
| Thomas | descendit ad inferna, tertia die resurrexit a mortuis | 6. descendit ad inferna, tertia die resurrexit a mortuis. | 3. a |
| Jacobus minor | Ascendit ad coelos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis | 9. Credo in Spiritum Sanctam ecclesiam Catholicam. | C |

Tab. I.

| | Augustinus Serm. 240. T. V. opp. Adp. | Augustinus Serm. 241. ibid. | Priminus in lib. de LL. Can. ex Ma- bill, An. T. IV. 575 | Durandus in ra- tionali div. offic. L. IV. | Scorus. Dist. 25. in XXXI. sent. qu. 1. | Floretus in verbis |
|--------------------|--|---|--|---|---|---|
| Petrus | Credo in Deum Patrem omnipo- tentem creatorem coeli et terrae | 1. Credo in Deum P. omnipotentem. | 1. Credo in Deum P. omnip. creatorem coeli et terrae | 1. Credo in Deum P. omnip. creatorem coeli et terrae | 1. Credo in unum D. P. omnip. creator coeli & terrae | 1. Credo in Deum P. omnip. creatorem coeli & terrae. |
| Andreas | et in Jesum Chri- stum, filium eius vnicum Domi- num nostrum. | 4. Qui conceptus est de Spiritu, S. natus ex Mar. virg. | 4. passus sub Pontio Pil. crucif. mortu- us et sepultus. | 2. & in J. C. filium eius vnicum Do- minum nostrum | 4. passus sub Pont. Pil. crucif. mort. & sepultus | 2. & in J. C. filium e- ius vnicum Domi- num nostrum. |
| Jacobus maior | qui conceptus est de Spiritu S. natus ex Maria vir- gine | 3. Credo in J. C. fi- lium eius vnicum Dominum nostr. | 3. qui conceptus est de Spiritu S. natus de Maria virgine | 3. qui conceptus est de Sp. S. natus ex Maria virgine | 3. qui conceptus est de Sp. S. natus ex Maria virgine | 3. qui conceptus est de Sp. S. natus ex Ma- ria virgine |
| Johan- nes | passus sub Pontio Pil. crucif. mortu- us et sepultus | 2. Creatorem coeli et terrae. | 2. et in J. C. filium e- ius vnic. Dn. nost. | 4. pas. sub Pont. Pil. cruc. mort. et sepu- | 2. et in J. C. filium eius vnic. Do. nost. | 4. passus sub Pont. Pil. cruc. mort. & sepul. |
| Thomas | descendit ad in- ferna, tertia die resurrexit a mor- tuis | 6. descendit ad in- ferna, tertia die re- surrexit a mor- tuis. | 6. 3. die resurrexit a mortuis. 12. Car. resurr. vit. aet. | 7. inde venturus est iudicare vivos & mortuos | 6. tertia die resurre- xit a mortuis | 6. tertia die resurrexit a mortuis |
| Jacobus minor | Ascendit ad coe- los, sedet ad dex- teram Dei Patris omnipotentis | 9. Credo in Spiritum Sanctum ecclesi- am Catholicam. | 9. Credo in Sp. S. | 9. S. ecclesiam Cath. sanctorum com- munionem | 5. Credo in Spiritum sanctum. | 9. Credo in Sp. S. f. ec- cles. cathol. sancto- rum communion. |
| Philip- pus | inde venturus est iudicare vivos et mortuos | 5. passus sub Pontio Pilato crucif. mortu- us et sepultus | 5. descendit ad in- ferna. | 5. descendit ad in- ferna tertia die re- surrexit a mortuis | 5. descendit ad in- ferna | 5. descendit ad inferna |
| Bartho- lomaeus | Credo in Spiri- tum Sanctum | 7. descendit ad coel- um sedet ad dextram Patris omnipot. | 7. ascendit ad coel- um sedet ad dext. Dei Pat. omnipotentis. | 6. ascendit ad coel- um sedet ad dext. De- i Pat. omnipotentis | 7. ascendit ad coel- um sedet ad dextram Pat. omnipotentis | 7. ascendit ad coel- um sedet ad dext. Dei P. omnipotentis. |
| Matthe- us | sanctam ecclesiam Catholicam San- ctorum commu- nionem | 8. inde venturus est iudicare vivos & mortuos | 8. inde venturus est iudicare vivos et mortuos. | 8. Credo in Spiritum sanctum. | 8. inde venturus est iudicare vivos & mortuos | 8. inde venturus est iudicare vivos & mortuos |
| Simon | remissionem pec- catorum. | 10. sanctor. comm. emission. peccat. | 10. sanctam ecclesiam Catholicam. | 10. remissionem pec- catorum | 10. Sanct. Cath. sanct. communionem | 10 remissionem pecca- torum |
| Thad- daeus | Carnis resurre- ctionem | 11. Carnis resurre- ctionem. | 11. Sanctor. comm. emission. peccat. | 11. Carnis resurre- ctionem | 11 Remissionem pec- catorum | 11 Resurrect. car- nis |
| Matthias | Vitam aeternam. | 12. vitam aeternam. | 12. & vitam aeter- nam. | 12. & vitam aeter- nam. | 12. Carnis resurre- ction. & vit. aet. | 12. vitam aeternam |



„signata sententiis, tali instructa munitione caelesti, ut omnes hereticorum opinionones solo ipsius possint gladio detruncari“. Quietio hæc animo audire poterat ERASMVS, qui nunquam de eo dubitauit, utrum symbolum sententias contineat Apostolorum nec ne; qui que adeo eum non habuit dissentientem, qui signatam solum confessionem, non ab Apostolis signatam adseruerat. Interim tamen nec hæc epistola suspicionem effugere potuit eruditorum. Qui enim optimam atque nitidissimam operum LEONIS editionem adornauit PASCHASIVS QVESNELL, ille in fine Operum ubi suas adiecit adnotationes, iudicavit de hac epistola, eam esse eradendam. Deprehenderat nempe in plurimis MSS. notam diei & Cos. deesse in hac epistola; cognoverat porro, eiusdem fere argumenti esse epistolam XXX. ad PVLCHERIAM, imo eadem verba quandoque in utraque reperiri, iisdem die, mense, Cos. esse perscriptam, quibus hanc exaratam esse permulti perhibent, qua propter ex breviori hac XXX. illam XXVII. compositam atque huc translata fuisse, QVESNELLIO fuit visum. Magna sine dubio restium nubes supererat Sorbonnicis doctoribus, quam quoniam enarrare nimis longum fuisset, vucula comprehendunt, confirmantes, non hos solum sed alios quoque uniformiter affirmare: unumquemque Apostolorum quod sensit dixisse, dum illud conderent. Quibus quidem verbis & sibi & aliis, qui tantorum virorum iudiciis atque auctoritate nituntur, imposuerunt. Nobis certe, qui quantum potuimus, alios illos inuenire laborauimus atque in eorum sententias inquisiuisimus, non confessionem, sed maximam potius animorum dissenfum, deprehendere licuit. Tantum abest ut convenient auctores in fabula enarranda vt ne duo quidem inter se conspirent.

Quapropter qui sint alii illi & quanta sit sententiarum de symbolis, quas ad formulam istam contulisse dicuntur Apostoli, diuersitas, sequens ut opinor tabula luculenter demonstrabit. Vid. Tab. I.

Defendimus hæctenus ERASMVM sed non ex RVFINO. Ipsi mirum aduersarii atque censores iniqui arma suppeditarunt, quibus nostram abunde propugnaremus assertionem. Opportune iam recordamur nostri promissi, cumque ex RVFINO potissimum ERASMVM defendere suscepimus, iam quod polliciti sumus praestabimus.

RVFINVS ERASMI defensor, circa Concilii Nicaeni I. tempora, Concordiae quidem prope Aquileiam oppido natus, (a) deinde vero

B 3

Aquile-

(a) Concordiam non Aquileiam, patriam fuisse Rufini, ita probari potest, vt nullus dubitationi locus relinquatur. Hieronymus in Apologia I. testatur Rufinum patria derelicta

Aquileiae moribus Christianis doctrinisque imbutus et denique a S. Valeriano urbis episcopo salutari ablatus lauacro, a nemine ferme Concordiensis, ab omnibus contra Aquileiensis nomine fuit insignitus. Cognomen habuit Tyrannius s. Thoranus. (a) A. D. 371. cum MELANIA Romanarum mulierum nobilissima, iter fecit Hierosolymam, ibique, Episcopo IOHANNE, presbyteri partibus functus, maximas cum HIERONYMO ob ORIGENIS doctrinam habuit lites. Quibus compositis, A. D. 397. relicta Hierosolyma in patriam remigravit, et aliquamdiu Romae versatus, Aquileiam post matris mortem se conulit, presbyteri munus gessit ibidem, tandem cum incurio Gothorum dubiam redderet securitatem publicam, fuga Siciliam petens, in insula hac nobilissima obiit mortem Anno 410. Auctore satis distincte declarato, facile erit iudicatu, illum nobis librum argumenta defensionis suppeditarum fore, qui expositio in Symb. Apostolorum inscribitur, quamquam enim superiori aetate hoc opus et HIERONYMO et CYPRIANO promiscue fuerit ad scriptum, (b) nostris tamen temporibus, qui RVFINO illud abiudi-

relicta Aquileiae habitasse, hanc vero patriam Concordiam fuisse idem nobis auctor est Hieronymus. Etenim qui in epistola ad Florentium monachum Aquileiensem Pauli & Rufini eandem patriam fuisse dicit, ille in Catal. Script. C. LIII. eiusdem Pauli patriam Concordiam facit. Haec cuncta accepta referimus Iusto Fontanino cuius vid. Hist. lit. Aquil. quae prodit Romae 1742.

- (a) Hoc nomen patriam Rufini indicare falso sibi persuasit Ioh. Fellus in ed. Opp. Cypriani Oxon. Addit enim in notis ad vocem Thoranus, ex vrbe Thora in Italia nunc excisa, in limite Sabinorum, castigavit hunc errorem idem Fontanus l. c.
- (b) Prodit haec expositio Oxoniae sub ipsis rei typographicae initiis 1468. titulo insignita: Expositio S. Hieronymi in Symb. Apostolorum ad Papam Laurentium. Vidit hanc edit. atque recensuit in Annal. typograph. Michaël Mattaire T. I. p. 63. vbi ait: Thomam Barlowium exemplari, sua manu hanc notulam addidisse, Rufini est haec expositio non Hieronymi: Cypriani Operibus hunc foetum inseruit ipse Erasmus in Edit. Opp. Cypriani quae lucem adspexit Basil. ap. Froben. 1519. 25. 30. Principem deinde huius expositionis editionem Ioh. Fellus curavit in appendice Opp. Cypriani quae primum Oxon. e theatro Sheldoniano A. D. 1682. fol. postea vero Amstelod. et Breae excusa sunt. Appendici nimirum isti, in qua recensuit Fellus Opera Cypriano vulgo adscripta Rufini expositionem adiunxit, quod alii adiunxissent. Neutrum tamen Virorum Summorum hunc tractatum conscripisse duplici argumento eoque grauisimo euinci potest. Nempe 1) Auctor expositionis se Aquileiae sacris Christianorum initiatum esse, sacroque tinctum fonte in initio statim confirmat, at vero hoc nec de Cypriano nec de Hieronymo asseri potest, quorum quippe ille vt viderur Carthagine, hic vero vt ipse in litteris ad Damasum testatur Romae fuit baptizatus; 2) vbi Auctor ad eam Symboli partem perueniat, quae S. ecclesiam docet esse

abiudicauerit, cognoui neminem. (a) Notatu sane dignum nos hac in de-
fensione ipsius ERASMI insistere vestigiis. Quem enim ille in Decla-
rat: aduersus Censuram Paris. in causae suae patrocinium adduxerat
Cyprianum, is idem est, quem nos sequimur RVFINVS. Habuerat
nempe ERASMVS, communi illius temporis sententia fretus, CYPRIA-
NVM pro auctore huius expositionis, quem tamen errorem, saeculi
genio facile condonandum, ipse postea alio emendauit loco. (b)

Iam perscrutabimur ipsam RVFINI expositionem, tot laudibus Vi-
rorum illustrium celebratam. Hac vero ratione incedam, vt primo Hi-
storiam Symboli conditi, vti eam narrat RVFINVS, nostro contrariam
non esse euincam; deinde validissimum illud in vsus meos conuertam
argumentum, quod ex variis quas ipse adnotauit Symboli lectionibus,
petitum est; et ex plurimis tandem loquendi formulis, quas de Symb.
adhibuit probabilem efficiam coniecturam, illum ipsum Apostolos non
credidisse Symboli auctores.

Originem Symboli huius haud ambigue vti acceperat reddit RV-
FINVS, cuius verba cum magnum in praesenti negotio habeant momen-
tum

esse credendam, hanc sanctitatem haecenus illibatam mansisse confirmat, quotquot
etiam ecclesiam oppugnauerint agmina haereticorum. In enarrandis vero eorum fa-
miliis, tales recenseat quae Cypriano quidem, aetate longe inferiores fuerunt. Qui
enim medio iam Saec. III. A. D. 258. martyris coronam consequutus erat, is certe
Arii & Photini haeresin confutare non poterat. De Cypriano haec solum valent,
Hieronymum enim eiusdem cum Rufino aetatis fuisse, supra concessimus.

- (a) Quod summo iure denegatur Cypriano atque Hieronymo id non minori tribuitur
Rufino. Non heri aut nadius tertius in hac suere sententia eruditi, imo antiquissi-
morum scriptorum testimonia proferre licet. Gennadius Massiliensis Saec. V. scriptor
in Cat. Auct. eccles. C. XVII. ceteris Rufini lucubrationibus, proprio labore
confectis Symboli explicationem adnumerat. Consentit Cassianus qui in L. VII. de
incarnat. C. XXVII. locum citat ex Symb. expositione, quam Rufino tribuit au-
ctori. Testantur hoc alii plures. Ceterum & Aquileiae tinctus est Rufinus, quod
ipse in Apolog. ad Anastasium Papam profiteatur, ubi dicit, „se fidem quatuor eccle-
siarum in usque Aquileiensis, tenere, quod ibi tinctus effect, „
- (b) Dubia mens haeret vtrum in eo errauerit Erasmus, an potius receptae se adcom-
modauerit opinioni? Quamquam enim et in Declar. 1531. et in epist. ad D. Thomam
a Roschefford, praeposita explanationi Symb. hunc ipsum tractatum Cypriano ad-
scripserit: Rufinum tamen pro auctore haberi non ignorauit, quod patet ex epistola
ad Cardinal. Puccium 1519. prid. Cal. Aug. perscripta, vbi ita: Symbolum fidei quod
in euulgatis pariter ac descriptis voluminibus Cypriani titulum haecenus possidet in-
ter Opera diui Hieronymi fertur Rufini nomine. Quid? quod in Censura Op-
Origenis edit. Basil. Rufino vindicat. Criminis enim accusat librarios quod Symb.
a Rufino explicatum in Cypriani transfulerint nomen.

tum ipsa ante oculos ponam: „Tradunt maiores nostri quod post ascensionem Domini, cum per aduentum S. Spiritus super singulos quosque Apostolos igneae linguae sedissent, ut loquelis diuersis variisque loquerentur, per quod eis nulla gens externa, nulla linguae barbaries inaccessa videretur & inuia, praeceptum eis a Domino datum ob praedicandum Dei verbum ad singulas quemque proficisci nationes. Discessuri itaque ab inuicem, normam serius futurae sibi praedicationis, in communi constituunt, ne forte alius ab alio abducti diuersum aliquid his qui adfidentem Christi inuitabantur, exponerent. Omnes ergo in uno positi & Sp. S. repleti breue istud futurae sibi ut diximus praedicationis indicium, conferendo in vnum quod sentiebant vnusquisque componunt atque hanc credentibus dandam esse regulam statuunt.„ Paucis interiectis quibus cur Symboli nomen indiderint explicat, ita pergit. „Haec non scribi chartulis atque membranis sed retineri cordibus tradiderunt, vt certum esset neminem haec ex lectione quae interdum speruenire etiam ad infideles solet, sed ex Apostolorum traditione didicisse sufficeret. Discessuri ergo vt diximus, ad praedicandum istud vnanimis & fidei suae indicium Apostoli posuere.„

Varia neque ea ficulnea ex hac RVFINI narratione pro confirmanda ERASMI sententia peti possunt argumenta. Etenim in initio statim monere nos Auctor videtur, se non indubiam proponere veritatem, neque ea narrare, de quibus ambigere nefas habeatur. Ea se referre dicit, quae a maioribus tradita accepit, quorum veritatem nec asserit nec negat, rem suo cuiusque lectoris relinquens iudicio. Sane qui omnia ea, quae a maioribus traduntur & vetustatis nomen praeseferunt pro verissimis accipere vellet, is maximo suo detrimento experiretur, se nubem quandoque pro Junone, errorem pro vero fuisse amplexum. Rumor certe vagus nunquam rem satis confirmat, nec raro illud, quod omnium ore celebratur inter mendacia referri meretur. His namque tum demum fides habenda est traditionibus, quando nulla aliorum probatissimorum scriptorum obstant testimonia & communi quasi suffragio non plebis solum sed eruditorum quoque atque sapientum omnium, veritas rei confirmatur. Quam ubi ad nostram causam adplicamus legem, quam infirma & lubrica sit, ea quam adfert RVFINVS traditio, facile intelligitur. Nullus trium priorum Saec. Scriptor huius mentionem fecit Symboli nec EVSEBIVS in Hist. eccles. L. III. Cap. I. ubi agit de Apostolis in varias gentes discessuris, quidquam addidit de sole huius Symboli ante discessum compositione. Causa tamen non caderet ERASMVS si vel optime cum veritate conveniret traditio illa maiorum. Quid enim est, quod tradiderunt? Hoc nimirum: Apostolos in terras longe a se invicem dissitos ab-
turos

turos normam doctrinæ quam sancte servarent sibi constituisse. Inde vero quis coniceret: Apostolos regulam fidei composuisse, quæ auditoribus solum usui esset. Nobis certe ea non contigit felicitas, alia omnia videmus, non auditorum sed sui causa, non confessionis, sed prædicationis normam confecerunt Apostoli. Iniuria foret in ipsos verbi divini nuntios, opinio & quæ doctrinæ derogat Apostolicæ. Convenisse dicuntur Apostoli, Symbolum composuisse, ut eadem sit illorum prædicationis. Num aliter res proponi potuisset, si fraude alios circumvenire voluissent? Adeone iis, qui eodem reguntur Spiritu metuendum erat, ne indoctrina alii subinde ab aliis abirent, nisi prius de Symbolo cogitassent, ad cuius amissim cuncta essent exigenda? Non igitur ERASMO hæc verba feriunt, sed ipse fabulæ Auctor iique qui calculum adiacere non dubitant, suo se iugulant gladio. Neque enim disceptatum fuit cum ERASMO, utrum prædicationis suæ normam constituerint, sed de eo litigatum fuit: an Symb. auditorum in gratiam litteris consignatum & scripto traditum, reliquissent apostoli. Adcurate satis ad hanc quæstionem dubiam respondit RVFINVS, remque ita declaravit, ut controversiam iudicis loco componere atque ERASMO victoriam decernere videretur. *Hæc inquit, non scribi chartulis &c.* Iam vero qui maximam RVFINVM inter & ERASMVM convenientiam, qui suavam animorum consociationem, qui eandem in utroque sententiam non perspiceret, ille summa luce oberraret in tenebris & veritati animo obstinato locum concedere recusaret.

Narratione ad finem perducta, ipsius expositionis initium faciens RVFINVS, lubens profitetur, in diversis ecclesiis aliqua in verbis esse adiecta. Plures hinc ipse in Symb. concedit variationes, quas data occasione indicare non erubescit. Iudicium sit penes lectorem num hæc ita evenire potuerint, si ab Apostolis omnia Symboli verba litteris fuissent consignata. Sibimet ipsi RVFINVS adversaretur, si quidem quod ab Apostolis scripto proditum dixisset deinde a variis variatum exhiberet. Quis enim quæso tantæ temeritatis sibi inureret maculam, ut in paucis verbis ob singularem originem, & suspiciendam auctorum auctoritatem, summa cum cura custodiendis multa adiaceret, rescinderet alia, ordinem in reliquis mutaret, haud aliter rem maximi momenti tractans, ac si in causa levisiori verbisque propriis opera eius versaretur? Nemo profecto hanc æquo animo ferret impudentiam, in Evangelio Matthæi aut Luca. Qui itaque idem pateretur in libello, qui non unius sed omnium Apostolorum consensu fuit consignatus, quique ob id ipsum maiori dignus erat reverentia certe non minori, profani homines nomen iure consequeretur.

C

Posito

Posito autem, quod omnis concedet rerum arbiter æquus, in scripto ab Apostolis prodito universis, nullas omnino occurrere debere mutationes, facilis hinc erit conclusio, si eiusmodi mutationes vere Symbolo inessent, id ipsum tantis non tribuendum esse auctoribus. Larga manu easdem dedit RVFINVS quas præeunte DVPINO in Biblioth. Auct. eccles. T. I tabula comprehensas, omnium subliciam inquisitioni, sperans me veniam esse obtenturum, si duce[m] forte in quibusdam deseram, atque ex mente magis RVFINI, ea qua fieri potuit adcuracione rem proponere laborem. Vid. Tab. II.

Vltimum restat argumentum, quod formulæ suppeditabunt loquendi, quibus utitur Auctor ipsius quando Symboli iniicit mentionem. Scilicet in ea fumus persuasione, RVFINVM, si modo Apostolos pro auctoribus Symboli habuisset, unica saltem vice illud Apostolis in ipsa tribuere explicatione debuisset. Non ea postulamus quæ iniqua sunt, sed quæ ab omnibus fere fieri solent interpretibus, ut in explicatione Auctoris sui, ipsum quandoque scriptoris nomen data proferant occasione. Neque ab hac consuetudine alienus fuit RVFINVS, qui ad excessum usque eandem observavit. Vix enim unicum in tota explicatione dictum ex S. S. citatum invenies, cuius non auctorem simul allegaverit. Sæpius legitur: *sicut & Apostolus scribit &c. secundum quod & Apostolus dicit &c.* at vero ubi novam Symboli partem explicare adgreditur, nunquam dicit: ita inquit Apostoli &c. pergit iam Symb. Apostolorum. Cuius rei rationem non nisi eam coniectura adsequi possumus, RVFINVM Symboli auctores aut ignorasse, aut Apostolis illius non tribuisse originem atque adeo eiusdem, quam postea fovit ERASMVS, sententiæ extitisse Patronum.

Nostræ ut eo maiorem fidem faciamus coniecturæ ipsa, afferamus RVFINI verba, formulasque nonnullas in ipsa additas expositione, adiciamus.

In initio statim simpliciter ita orditur laborem: *Symbolum inquit &c. de Apostolis altum silentium.* Ad secundi articuli verba & in unum Dominum I. C. addit RVFINVS: „*unum Deum & unum Dominum secundum auctoritatem Pauli Apostoli profitentes* „ Quæ si de auctoribus Symboli valere debent, ad Apostolos certe ad commodari nequeunt. Fac enim Apostolos Symbolum condidisse, duplicem verba admittunt sensum, aut enim innuitur PAVLI Apostoli auctoritatem, reliquos commovisse Apostolos, ut hunc Symboli conficerent articulum; aut respiciens RVFINVS ad verba I Cor. VIII. 6. hoc solum voluit: Apostolos, præeunte PAVLLO eam eandem Symb. sententiam fuisse professos. Quorum tamen utrumque cum veritate

Tab. II.
Symbolum Apostolicum

| vt hodie extat in Libro Concordiae | ecclesiae Aquile- ienseis | Oriente. | Romanum. |
|--|--|--|--|
| 1. Credo in Deum. Patrem omnipo- tentem, creatorem coeli et terrae | 1. Credo in Deo Pa- tre omnipotente invisibili et im- passibili. | 1. Credo in vnum Deum P. omnip. invisibilem et im- passibilem. | 1. Credo in Deum Patrem omnipo- tentem. |
| 2. et in Jesum Chri- stum filium eius vnicum Do. nost. | 2. et in Christo Jesu unico filio eius Domino nostro. | 2. et in vnum Dom. nostrum J.C. vni- cum filium eius. | 2. et in Christ. Jesu vnicum fil. eius, Domin. nostrum. |
| 3. Qui conceptus est de Sp. S. natus ex Maria virgine | 3. qui natus est de Spiritu S. ex Ma- ria virgine | 3. vt Aquileiense. | 3. vt Aquileiense. |
| 4. Passus sub Pon. Pil. crucif. mort. et sep- ult. desc. ad inf. | 4. Crucifixus sub Pont. Pil. et sepul- tus desc. ad infer. | 4. Crucifixus sub Pontio Pilato et sepultus | 4. vt Orientale |
| 5. Tertia die resur- rescit a mortuis | 5. eodem modo | 5. — — | 5. — — |
| 6. Adscen. ad cael. se- det ad dex. D. P. O. | 6. Adscendit ad cael. Seder ad dext. Pat. | 6. vt Aquileiense | 6. vt Aquileiense. |
| 7. inde venturus est iudic. viu. et mort. | 7. eodem modo. | 7. — — | 7. — — |
| 8. Credo in Spir. S. | 8. et in Spiritu S. | 8. et in Spir. Sanct. | 8. vt Orientale |
| 9. Sanctam eccl. Ca- thol sanct. comm. | 9. Sanctam eccles. | 9. vt Aquil. | 9. vt Aquil. |
| 10. Remission. peccat. | 10. eodem modo | 10. — — | 10. — — |
| 11. Carnis resurre- ctionem | 11. huius carnis resu- rectionem. | 11. Carnis resurre- ctionem. | 11. vt Orientale. |
| 12. et vitam aeternam Amen. | 12. Deest. | 12. Deest. | 12. Deest. |

| | | | |
|----|----|----|-----|
| 1 | 2 | 3 | 4 |
| 5 | 6 | 7 | 8 |
| 9 | 10 | 11 | 12 |
| 13 | 14 | 15 | 16 |
| 17 | 18 | 19 | 20 |
| 21 | 22 | 23 | 24 |
| 25 | 26 | 27 | 28 |
| 29 | 30 | 31 | 32 |
| 33 | 34 | 35 | 36 |
| 37 | 38 | 39 | 40 |
| 41 | 42 | 43 | 44 |
| 45 | 46 | 47 | 48 |
| 49 | 50 | 51 | 52 |
| 53 | 54 | 55 | 56 |
| 57 | 58 | 59 | 60 |
| 61 | 62 | 63 | 64 |
| 65 | 66 | 67 | 68 |
| 69 | 70 | 71 | 72 |
| 73 | 74 | 75 | 76 |
| 77 | 78 | 79 | 80 |
| 81 | 82 | 83 | 84 |
| 85 | 86 | 87 | 88 |
| 89 | 90 | 91 | 92 |
| 93 | 94 | 95 | 96 |
| 97 | 98 | 99 | 100 |



ritate adeo non conuenit, vt potius, qui haec adfirmare auderet, summam eo ipso proderet infcitiam. PAVLLVM enim collegio Apostolorum eo tempore interfuisse, quo Symbolum dicitur esse compositum nemo temere adfirmabit, cui ex historia notum est, eum A. D. XXXV. Tib. XXII. ex mente Pearsonii atque Vsserii ad Apostolatam accessisse, nec quisquam qui fabulae huic fanit eum inter Symboli retulit Auctores. Locum vero Paullinum regulam fuisse Apostolis, nemini vmquam in mentem venire potest, qui perpendit, eo quo Symbolum ex hypothefi consignatum dicitur tempore, epistolam hanc nondum exstitisse, quae anno demum XXII. post munus Apostoli commissam, a PAVLLO fuit ad Corinthios perscripta. Nihil ageret, qui exciperet: forte mentem RVFINI hanc fuisse, vt, ab Apostolis suo tempore in Symbolo tradita, sua aetate optime cum sententia PAVLLI conuenire diceret. Nam si haec indicare voluisset RVFINVS non *secundum auctoritatem Pauli* eosdem profiteri pronunciamdum fuisset. Ceterum facili exinde negotio efficitur, RVFINVM auctores Symboli ab Apostolis diuersos agnouisse. Aequos enim si nos verborum interpretes praebere velimus, tales habuit Symbolum conditores, qui PAVLLI auctoritatem in sua sequi poterant professione. Qui, quoniam Apostoli non fuerunt, alios ab iis diuersos fuisse necesse est.

Manifeste satis hanc suo calculo approbavit opinionem alio loco, vbi in Commentario verba erant explicanda: Crucifixus sub Pontio Pilato addit enim: „*Cautissime qui Symbolum tradiderunt etiam tempus quo haec sub Pontio Pilato gesta sunt designarunt, ne ex aliqua parte, velut vaga & incerta gestorum traditio vacillaret.*„ Profecto qui conuictus fuisset, de eo quod Apostoli Symbolum condiderint non tam vage atque indeterminate fuisset loquutus. Cur multis vitur verbis? cur non vnica voce Apostolos exprimit? cur occasione lubens praetermittit, qua prudentiam Apostolorum atque circumspectionem laudibus extollere potuisset? Non video quid prohibuerit scribere: Cautissime Apostoli cet. nisi de origine Symboli dubia mens haesisset RVFINO. Ipsum denique Symbolum nunquam Apostolicum nuncupat, sed alia omnia adhibet nomina, quae de quouis libro quod tantos non agnoscebat conditores iure poterant pronunciarum. Nominat nimirum, *ordinem fidei, fidem ipsam, traditionem fidei*, imo simpliciter *traditionem*, quid? quod *sermonis* solum nomine insignire non veretur. Optime hoc ille perspiciet cui ipsum librum euoluere animus erit. Non enim ficta haec proferuntur, sed luculentissimis testimoniis ex ipso opere facile confirmantur. Accipe loca quaedam: *Postea quam propositus ordo fidei ineffabile sacramentum filii de patre nazianensis exposuit, nunc ad humanae salutis dignationem dispensationemque descendit.* — Post hoc ponitur in ordine fidei et in Sp. S. — Tenet deinde traditio fidei sanctam ecclesiam. — Fides nostra non inuenitur naturalibus rationibus aduersari in doctrina de remissione peccatorum. — Si haec secundum traditionis supra expositae regulam aduertimus. — Sequitur et posthinc Sermonem credo vnam sanctam ecclesiam. — Sed et ulterius iste sermo qui resurrectionem canis praenunciat, summam totius perfectionis succincta breuitate concludit. Quemlibet nunc veritatis amatorem ingenuum obtestor, velit ea quae haecenus protulimus argumenta, apte inter se copulata coniungere vimque eorum recto ponderare iudicio; Reuoect sibi in mentem historiam illam, quam narrat RVFINVS, recordetur variationum quas affert; perpendat modum quem seruat, vbi de Symbolo loquitur, et tunc demum iudicet, vtrum RVFINVS ERASMO sit opponendus, an vero optima inter vtrumque sit animorum conspiratio, sententiarum conuenientia.

Pluribus equidem haec illustrari atque sententia ERASMI vberius proponi potuisset, ex *Dilucida eius et plana explanatione, Symboli quod Apostolorum dicitur*, quae legi potest

act. Th. 908


VD 18

potest in T. V. Oppi. p. 1134. Sed scientes haec omisimus, tum, quoniam contra aduersarios tuto satis adhiberi non poterant, quae sopita controuersia demum adspexerant lucem; tum quia ubique eandem ERASMVS teneret sententiam. Interim tamen illis, qui quaerunt, qua fronte homines quidam asseuerent hoc Symbolum ab Apostolis communi assensu proditum esse, verbis respondemus ERASMI: „*Rex quidam Lacedaemonius roganti, quamobrem Ephori non assurgerent Regi. Ob hoc ipsum, inquit, quod Ephori sunt. Similiter nunc tibi respondere possum: Ob hoc ipsum sic adseuerant, quod homines sunt. Si quid apud recentiores legerunt retinent mordicus, si quid adferunt ex veteribus, quos non legunt, ut sunt religiose metriculosi, sufficiantur sub omni lapide dormire scorpionum.*”

Pedem hic figerem, nisi Viri Doctissimi nostrum opinionis aliquando fecissent auctorem quae Symboli aliquem concernit articulum, et a qua ipse ERASMVS vt opinor facile se liberabit. HERMANNVS nempe WITSIVS in Exercit. in Symb. Apost. Exerc. XVIII. §. VII. quem sequitur Vir S. V. WALCHIVS in Intro. in LL. SS. p. 103. accusat ERASMVM, quod putauerit verba Symboli descendit ad inferos addita esse a THOMA AQUINATE qui vixerit MCCCCLXV. Haec iure an iniuria tribuantur ERASMO, ipsum iuuabit audire, ita sententiam suam in Catechismo proferentem: *Verba descendit ad inferos an Thomas Aquinas addiderit, subdubio. Nonnulla suspicio est hanc particulam ab alio adiectam, vel hoc argumento, quod non est suo loco, quum enim tertium articulum faciat de resurrectione, quartum facit de descensu ad inferos, nisi forte illud sensu, Christum a morte rediituum in corpore et anima descendisse ad inferos. Alterum opusculum quod Thomae titulo circumfertur, de Symbolo, diuersimode interpretatur, et diuerso utitur ordine. Descensus enim ad inferos ibi praecedit resurrectionem, quamquam hoc opus licet crudizum ac pium non videtur est Thomae Aquinaris.*

Hoc qualicunque labore, ad finem feliciter perducto, precibus mihi compellandus es VIR CLARISSIME, vt ea quae TIBI pro viribus ex ignis, exigua praestare potui humanitatis atque amicitiae officia, serena accipias fronte, atque in iis examinandis eam exerceas benignitatem TVAM, quam semper a TE expectare mihi fuit permissum. Nosti animum meum, facile hinc TIBI persuadebis, summa eum laetitia profusus esse, eum de nouis iisque summis in Philosophia honoribus, TVAM quibus diligentiam indefessam aliqua remunerari ex parte, TE ipsum vero scientia ornatum satis, titulorum exornare adhuc magnificentiam, non dubitauit in clyta Academia Vitembergensis, lactus ad me nuntius perferretur. Quam saepius iam verbis TIBI testatam feci laetitiam meam, eandem iam literis repetere licet. TIBI itaque VIR CLARISSIME de nouis virtutum TVARVM ornamentis ex animo gratulor et vota pro TVA nuncupo salute haud irrita futura. Omnis boni largitorem submissis imploro precibus, TVAM vt semper noua incrementa capere iubeat felicitatem; concedat TIBI Patronos atque Fautores qui de eadem agenda nullo non prospiciant tempore; det denique vt cuncta quae animo deliberato et bono suscipis consilio, ex voto succedant. Omnibus sic abundantem bonis TE VIR CLARISSIME vale nostris dicentem Musis, omnes qui haud fucato TEcum coniuncti sunt amore, virtute maetum TVA laeti conspiciunt, atque ita TVA quam diuinamus prosperitas efficacissimo nos erigit solatio, de TVO discessu instante ad modum sollicitos. Quod restat, TVAM fidem imploro, ad TVAM in promissis prouoco, constantiam, eum, qui per omne tempus, quo in hac bonarum artium sede vixisti, tenerrimo TE complexus est amore, eum; quem studia non minus communia, quam animorum suavis conuenientia arctis TEcum amicitiae vinculis copularunt, eum denique, qui eadem TEcum domo, communi fretus beneficio per quatuor vltus est annos, ne unquam ex animo effluere finas TVO, eamque quam haetenus incorruptam coluimus amicitiam, sanctam serues atque intemeratam.

X3063836



B.I.G.

Farbkarte #13

Hi
902

ERASMI
SENTENTIAM
DE
SYMBOLO APOSTOLICO
EX RVFINO DEFENDIT
ATQVE SIMVL
VIRO CLARISSIMO DOCTISSIMOQVE
DOMINO
EPHRAIM CHRISTOPHORO
THESSSELIO
SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
GRATVLATVR
M. IOHANNES GODOFREDVS KOERNER.

LIPSIÆ,

STANNO FOERSTERIANO MDCCLXIX.

